



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R.P. Clavdii Aqua-Vivae Societatis Iesv Præpositi  
Generalis V. Meditationes In Psalm. 44. et 118**

**Acquaviva, Claudio**

**Coloniæ Ubiorum, 1616**

67 Priusquam humiliarer ego deliqui: propterea eloquium tuum custodiui.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50645)

disciplinam erga se, consequitur scientia de deo, & te, & erga te, vt incipiam cognoscere mi-  
 rabilia de te, & magnalia tua acutius in-  
 trospicere; Qualia sint iudicia tua, quam  
 recta, quam suauia intelligere: quali erga  
 tuos sapientia, & prouidentia vtaris, mani-  
 feste cognoscere. Hæc igitur eo modo &  
 ordine postulo, vt doceas me, quia man-  
 datis tuis credidi: & æquum est, vt quan-  
 doquidem exortum donasti, dones & in-  
 crementum.

67 Priusquam humiliarer, ego deli-  
 qui: propterea eloquium tuum  
 custodiui.

**B**ona humiliatio, quæ peccatis aditum *Humilia-*  
 obstruit: bona humiliatio, quæ viam *tio utilis.*  
 ad eloquia custodienda parat: amplecten-  
 da afflictio, quæ tales fructus germinat,  
 fructus veræ sapientiæ, & dulciores super *Psal. 18.*  
 mel, & fauum. Exiguum enim, inquit scri- *Ecol. 6.*  
 ptura, in opere illius laborabis; & cito edes  
 de generationibus illius. Ita erudis nos, & *Isai. 28.*  
 flagellis instruis disciplina. Vexatio enim  
 dat intellectum auditui: & multi in flagel-  
 lis, & disciplina domini facti sunt sapien-  
 tiores, qui in prosperis desipiebant. Si au-  
 tem intelligamus non humiliationem, qua  
 atterimur, sed humilitatem, qua docemur,  
 etiam sic, imò multo magis & mala decli-  
 namus, & tua eloquia custodimus. *Qua-*

S. 3. *nc*

*Iob 6.*

re peto dulcissime Pater, vt afflingens me dolore non parcas, nec sermonibus tuis contradicam, modo paternè erudias, & instruas me. Sed vehementius oro spiritum humilitatis mihi donari, quo noxim te, no im & me. Quo mala defleam, quæ humilitatis defectus minora suggerit; bona studiosissimè conquiram, quæ humilitatis profectus maiora ostendit. Sic enim sæpe delinquo, si nō bonum malum, & malum bonum ponens, tenebras lucem, & lucem tenebras, saltem maiora minima, minima magna reputans. Adesto lumen veridicum vt etiam tenebræ loquantur mihi.

*Isai. 5.*

68 Bonus es tu, & in bonitate tua doce me iustificationes tuas.

Deus bonus simpliciter.

Bonitatem prædicaueram, bonitatem doceri postulaueram. Nunc verò bonum te prædico, bonum simpliciter, & essentialiter. Dicimus enim bonam domum, bonam possessionem, bonam terram, bonos caelos; bona Solem, Lunam, & Stellas; & denique quicquid fecisti, vidiſti quod bonum esset. Sed quantum est hoc ad totius boni bonum, bonum simpliciter, & totius boni fontem? Quod nomen Theologi, vt asserit S. Dionysius, summæ Deitatis peculiariter ex omnibus applicant, ipsam tuam substātiā bonitatem appellantes.

*Gen. 1.*

c. 4. de diuin. nom.

Et